





390.

1684, 37

20

DISSERTATIO
DE
PROBATIONIBUS
ET PRÆSUMTIONIBUS,

Quam
PRÆSIDE

Viro Illustri ac Magnifico

DN. GEORGIO ADAMO

Struben/

1674/92 ca. 1684

Hæreditario in **Wanzleben & Benigen-**
Gena/ Cto Consummatissimo, Sereniss. Du-
cum Saxo-Vinariensium Consiliario intimo Emi-
nentissimo, Facultatis Juridicæ Ordinario, Curia Pro-
vincialis, ut & Scabinatûs Adsessore Gra-
vissimo,

Dn. Patrono ac Promotore cum obsequio & veneratione perpetua colendo

Calend. Februarii

Publicæ disquisitioni exhibet

AUGUSTUS **Drachstedt**/

Halâ-Saxo.

JENÆ, Typis JOHANNIS NISI.


3 1/2



1056.

D I S S E R T A T I O
 P R O B A T I O N I B U S
 I N P R A E S E N T I A M
 P R O F . R I C H . M O S E R
 P R A E S I D I
 D N I G E O R G I O A D A M O
 H A E R E D I T A R I I
 S E N A T U S
 C O N S U L T A N T I S S I M O
 C O N S I L I O V I R I T A T I S
 N O B I L I T A T I S
 M O N A C H I C A E
 A U G U S T I N E
 A N N O M D C C X L V





DISSERTATIO JURIDICA
DE
PROBATIONIBUS
ET PRÆSUMPTIONIBUS.

APHOR. I.



Robationem, superiori disputatione, in duas
divisimus species: artificialem & inartificia-
lem. Hac per testes fit, & tabulas: illa per
argumenta. Agamus primò de testibus;
deinde tabulis; postremò de argumentis.

II.

Testimonii dictionem alii omninò non
habent: alii habent, sed non in omnibus causis. Omninò
adempta est testimonii dictio servis *l. 20. §. servus D. Qui te-
stam. fac. pos. l. quoniam 11. C. de testib. Nov. 90. cap. 6. Ter. in
Phorm.* Interrogari tamen per tormenta possunt, tam in civi-
libus, quam criminalibus causis, dumne pro domino, vel in
dominum *l. 1. 8. 9. D. de quest. l. 1. l. 7. C. eod. l. 7. D. de testib.*

III.

Libertis testimonii dictio est, non tamen in patronum,
*l. 3. §. lege, l. 4. D. eod. l. libertorum 12. C. eod. l. 1. §. 9. l. 10. §. nec
debet D. de quest.* An pro patrono, non est expeditum.

A

rius



1058.
rius videtur, nec pro patronis surgentes fidem mereri, *arg. d. §. lege, d. §. nec debet, l. pridem 6. C. de quest. l. 11. §. 1. D. de pœn. l. 6. §. pen. C. de his qui ad eccles. confug. l. ult. C. de V. S. Accurs. Salic. Sich. in d. l. libertorum. Duar. ad tit. C. de test. cap. 1. Diss. Hotom. in l. 2. C. eod.*

IV.

Hoc argumento, nec vasallum in causa domini testem esse posse tradunt Sich. *in d. l. libertorum n. 3. Wes. in parat. de testib. n. 3. Schenck in com. ad §. 1. in quibus etiam causis, tit. de consuet. rect. feud.* Quod an rectum sit, meritò dubites: ipse enim feudista *in d. §. 1.* inter causas civiles & criminales distingvere videtur, ut in illis quidem vasallus audiatur, in his nequaquam. Vide Cuj. Baron. Hot. *ad eund. §. Argentr. ad consuet. Brit. art. 158. glos. 2. Afflict. decis. 504.*

* Add. Syntagm. Jur. Feudal. cap. II. Aphor. 3. n. 3.

V.

Sanè hominem adscriptitium seu proprium, ante quam manu, jure ac sacramento, quo domino obnoxius est, solvatur, neque in dominum, nec pro eo, in quacunque causa, seu civili, seu criminali dicere posse, rectè tradidit Sich. *d. loc. n. 4. arg. d. l. 6. pen. C. de his qui ad eccles. confug.*

VI.

Furiosi & mente capti, non solùm in testamentis vetantur esse testes, *l. 20. §. ne furiosus D. Qui test. fac. pos. sed & in aliis causis: nullum enim negotium rectè gerunt, §. furiosus. Inst. de inut. stipul.* Idemque judicandum de prodigo, nam nec ejus ulla voluntas. *l. is cui lege 18. D. Qui test. fac. pos. l. furiosi 40. D. de R. I. l. is cui 6. D. de V. O. l. bis qui 12. §. ult. D. de tut. & cur. dat.*

VII.

Surdus & mutus in testamentis prohibentur, *§. testes autem*

autem Inst. de testam. ord. An & in judiciis? Etiam, arg. l. in quibuscunque 48. D. de O. & A. l. ubi 124. D. de R. I. l. 3. §. idem D. Hadrianus D. de testib. l. 4. §. seqq. D. Test. quem. aper. inspic. & describ. Donel. in l. 2. num. 2. C. de testib. Hotom. in d. l. 124.

Diff. Baro in d. §. testes. Inst. de testam. ord. Vult. 2. jurispr. Rom. 2. n. 60.

VIII.

Cæcus & interrogari potest, & respondere. Verius est igitur, non arceri eum testimonii dictione, exceptis iis causis, in quibus, non sufficientibus reliquis sensibus, visu opus est; Bald. Castrenf. & Sich. in l. si non speciali 9. C. de testam. Azo in l. testium 18. C. de testib.

Diff. Cyn. ibid. Specul. tit. de test. §. 1. & §. nunc tractandum. Wel. parat. de testib. n. 3.

IX.

Impuberes lex Julia nominatim testes esse vetat, d. l. 3. §. lege D. de testib. Puberes non vetat: in criminalibus tamen causis nominatim exigit annos XX. l. in testimonium 20. D. eod. Ac licet Harmenopulus i. promt. 6. §. ὁ μαρτυρῶν 41. in civilibus annos XVIII. requirat, id tamen, cum nusquam in libris nostris extet, sequi religio est.

X.

An pubes factus de iis, quæ impubes vidit, testimonium dicere possit, quæritur? Affirmant communiter Dd. Gloss. in d. l. 3. §. lege, verb. impubes, Dec. in l. 2. in fin. D. de R. I. Alciat. & Forner. in l. notionem 99. §. instrumentorura D. de V. S. Costal. in l. 8. D. de testib. Sich. ad rubr. C. de testib. n. 8. nec id abhorret à vero.

XI.

Mulieres in testamentis testes esse nequeunt, l. 20. §. mu-

B

lier



lier D. *Qui testam. fac. poss.* In judiciis, etiam criminalibus esse possunt: idque inde colligere licet, quod nominatim excipiatur ea, quæ quæstum palam fecit, quæque adulterii condemnata est, *d. l. 3. §. lege l. ex eo 18. D. de testib.*

XII.

Non pauci præterea propter infamiae notam testimonii dictione privantur, enumerati *in d. l. 3. §. lege l. 15. l. 18. l. 21. D. de testib.* De qua tamen enumeratione quæri potest, an pertineat ad omnia judicia. Græci enim *eclog. basil. lib. 21. tit. 1. cap. 4.* ad legem Juliam de vi restringere videntur. Rectius Accurs. *in d. §. lege, verb. in reum, & Donel. lib. 25. com. cap. 1. de testib.* ad omnia judicia pertinere tradunt, *arg. d. l. 15. de testib. l. 20. §. eum qui lege D. Qui testam. fac. pos. l. 6. §. 1. D. ad leg. Jul. repet. l. 14. & 18. D. de testib.*

XIII.

Controvertitur etiam, an sententia legis Juliae, præter enumeratos, comprehendantur omnes, qui vel edicto, vel lege, vel pronunciatione judicis notantur infamia? Affirmant communiter Dd. Gloss. & alii *in l. 1. C. de Sum. Trin. Azo in sum. C. de testib. Sich. ad eand. rubr. n. 11. Farin. quest. 56. n. 26. Wes. parat. d. n. 3. Negant. Donel. d. cap. 1. Duar. 2. disp. anniv. 23. & ad tit. C. de testib. cap. 1. Nobis sententia communis magis placet, arg. l. 1. §. 1. l. 2. l. questum 13. l. ob carmen 21. §. sic a rei D. de testib. l. 2. D. de Senat. l. 6. §. 1. D. ad leg. Jul. repet. nov. 90. cap. 1.*

XIV.

Infames, ut loquuntur, infamia facti privant Dd. testimonii dictione in causis criminalibus & arduis, Bartol. Bald. Jas. & plerique *in l. 1. C. de Sum. Trinit. Costal. in l. 2. D. de Senator. Clar. §. fin. quest. 24. n. 13. Farin. d. quest. 56. num. 110. & 115.* Verùm cum id nusquam scriptum sit, impunè à nobis
con-



393.
contemni poterit. Quamquam fatemur non tantum fidei mereri qualitercunque notatos, quantum integræ frontis homines. Ferret. *in d. l. 3. §. lege D. de testib.* Duar. & Donel. *cit. loc.*

XV.

Judæi testimonii dictionem habent: habent & hæretici; non tamen adversus orthodoxos. Pagani non habent, neque qui ex hæreticis improbiore sunt, veluti Manichæi, Borboritæ, Montanistæ &c. *l. pen. C. de heret.* Notant quidem glossographi *in l. 1. C. de Sum. Trinit.* hodie omnes hæreticos à testimonio dicendo repelli, *per auth. Gazaros C. de heret.* Verum cum ea authentica Justiniani non sit, quantum sit deferendum, equidem dubito.

* Ex ratione allatâ, quod sc. authentica Gazaros non sit Justiniani: non videtur concludendum, *quod merito dubites, quantum ei sit deferendum.* Nam etiam Justiniani leges in Germania hodie non aliter valeat, quàm quatenus usu receptæ. Vid. *Tract. d. vindict. priv. cap. 10. apbor. 6. n. 26.* Præterea desumpta est authentica ex jure Canonico *c. excommunicamus. 13. c. seq. 15. d. heretic.* cujus tradita in materiis ad processum spectantibus sequi solemus.

XVI.

Hæreticis & Judæis hac parte propemodum æquant PP. laicos, in causis criminalibus testimonii dictione eis interdicentes adversus clericos, *c. de cætero 14. de testib.* Interdictionis causam assignant partim reverentiam clericis debitam, partim odium, quo eos prosequantur laici. Felin. & Aret. *in d. c. de cætero Farin. de testib. quest. 61. oppos. 12. Fachin. 12. contr. 77.* Dignæ sanè ista constitutione rationes.

XVII.

Pauper, aut plebejus humilior, neque jure vetatur esse

B 2

testis,



testis, neque à iudice repellendus est : non enim facultates, sed mores suspectum faciunt *l. 3. D. de testib. l. 8 D. de susp. tut.* Excipiunt aliqui causam nobilitatis, in qua vetant plebejū audiri. Verū id meritò displicuit viro nobili B. Argentreo, *ad cons. Brit. art. 160. gloss. 1.* Cur enim, inquit, non vicissim de ignobilitate statuitur, non admittendos nobiles testes, si invidia causa mutua est rejiciendi?

XVIII.

In re sua testis esse nemo potest *l. nullus 10. D. l. omnibus 10. C. de testib.* Hæc regula non solum dominum excludit in re sua, sed & venditorem in causa emtoris, cedentem in causa ejus cui ceditur, executorem in causa, cui exequendæ datus est, patronum atque procuratorem, in ea, quam quisque orat, vel persequitur *l. ult. D. de testib. l. 4. §. item si emtor. D. de appellat.* Donel. *ad tit. de testib. cap. 2.* Ferret. *in l. 1. n. 15. & seqq. D. eod.* Farin. *quest. 60.* Sand. *lib. 1. decis. tit. 10. def. 14.*

XIX.

Sed an advocatus, vel procurator unius litigatoris, ab altero testis nominatus, aut dicere si velit, aut cogi si nolit potest? Adfirmat rectè Guid. Pap. *quest. 45.* Robert. *2. rer. jud. cap. ult.* Papon. *lib. 9. tit. 1. arr. 31.* Ac licet hanc sententiam temperet Argentr. *art. 157. gloss. 2.* ut ne cogatur advocatus arcana consilii prodere, rectius tamen id temperamentum insuper habemus, *arg. l. rem non novam 14. §. patroni C. de jud.* Mornac. *in l. 4. D. de testib.*

* Utique temperamentum Argentrei approbandum est. Vid. Berlich. *dec. 101.*

XX.

An proxeneta quoque per prædictam regulam excluditur, in eo negotio, quod ipso interveniente contractum est? Respondent Dd. *in nov. 90. cap. 8.* excludi, nisi uterque litiga-

101

2063
394.

tor in eum consentiat. Si tamen ab altero potissimum pararius ad alterum missus sit, contra mittentem etiam invitum dicere posse, tuebimur cum Hotomanno *lib. 10. obs. 15.* Confer eundem *consil. 43. n. 6.*

XXI.

An socius quoque in causa socii? Respondent glossographi, socius omnium bonorum excluditur: excludimur etiam socius certæ rei, cum de re communi agitur; sed si res communis sit citra societatem, non excluditur consors, si consorti duntaxat, non ipsi quoque de sua parte moveatur controversia, Joan. Azo, Accurs. Sichard. *in l. quoniam C. de testib. Ferrar. pract. tit. 12. gloss. 11. n. 5.* Nos brevius & indistinctè ita malumus; Si de re communi agatur, & eodem uterque utatur defensionis genere, non posse sociam esse testem, *arg. l. 1. C. de com. rer. alien. l. qui separatim. 10. §. ult. D. de appellat. Donei. in d. l. quoniam n. 13. Hotom. in l. 4. C. de testib.*

XXII.

An municeps in causa municipii? Si emolumentum causæ ad municipium, non ad singulos municipes spectet, non excluditur per superiorem regulam, *arg. l. 6. §. universitatis D. de rer. divis. l. 2. l. 7. §. 1. D. Quod cur. univ. nom. l. 10. §. qui manumittitur D. de in jus voc. l. 1. §. servum 7. D. de quest. Jas. in l. 5. §. Labeon. 11. D. de leg. 1. Ferret. in l. 1. n. 8. D. de testib. Sich. in l. parentes n. 5. C. eod. Duar. d. cap. 1. Conf. Hotom. in l. 9. C. eod. Costal. & Mornac. in d. l. 6. de rer. divis.*

XXIII.

Domestici quoque testes jure reprobantur *l. 3. C. de testib. l. idonei 6. l. testes 24. D. eod.* Sunt autem domestici primò parentes & liberi invicem, sive in potestate, sive extra potestatem sint *l. parentes 6. C. eod. ubi Accurs. & Dd. Socer, susceptor, nutrix, tutor, pedagogus, parentum appellatione*

B 3

hac

hac parte non continentur : Sed cum, Paulo teste, 5. sent. 15. gratia & necessitudo rei veræ testimonium plerumque corrumpant, quantum eis tribuendum, prudens iudex facile æstimabit.

* Add. de testimonio parentum contra liberos & vice versa. Richter. vol. 2. conf. 173.

XXIV.

Dein frater in causa fratris. Et siquidem uterque in ejusdem sit potestate, nulla dubitatio est : Sin alter emancipatus, vel uterque sui juris sit, non idem omnes sentiunt. Plerique affirmant emancipatum audiendum esse Gloss. & Dd. in d. l. parentes, & in l. 20. §. per contrarium D. Qui test. fac. pos. Alciat. de presunt. reg. 1. pres. 23. Costal. in l. 4. D. de testib. Donel. de testib. cap. 3. Verùm hanc doctrinam periculosam judicat Sich. in d. l. parentes n. 6. & omninò improbat Duar. d. cap. 1. & 1. disputat. anniv. 28. Et sanè, ut ut domesticus testis non sit, necessitudinem tamen & gratiam testimonium ejus reddere suspectum, quis neget?

XXV.

Quod verò idem Duarenus d. cap. 28. domesticos testes latius definit, omnes qui sunt ejusdem gentis, familiae & agnationis, non possis probare. Satis enim aperte leges domesticos, non jure cognationis, sed potestatis & domo æstimant d. l. 6. & 24. D. de testib. §. testibus Inst. de testam. ordin. ubi Theoph. in paraphr. Cujac. in l. ad testium 22. D. Qui test. fac. pos.

XXVI.

Postremò uxor in causa mariti, & contra maritus in causa uxoris domestici testes sunt l. pronuntiatio 195. §. familia D. de V. S. l. 1. D. de rit. nupt. l. 3. C. de crim. expil. hered. l. 1. §. si vir D. de SC. Si lan. l. 1. D. de act. rer. amot. Sunt & famuli mercede



395.

cede conducti, quandiu serviunt, *arg. d. l. 7. D. de testib. l. 11. §. furt a D. de pœn. Harmen. d. tit. 6. §. iuris dicitis Don. d. cap. 3. Sich. in l. 2. C. de testib. Costal. in l. 4. D. eod. Gomes. 4. resol. 12. n. 15. Nec desunt qui colonum adjiciant, Ferrar. tit. 10. de form. jur. test. gloss. 1. n. 15. Wes. par. de testib. n. 4. Vix puto rectè.*

XXVII.

Quid de convictoribus dicendum? Sunt qui domesticos definiunt omnes, qui vivunt nobiscum ad unum panem, & unum vinum, ut ipforum verbis utar Bart. *in d. l. 11. §. furt a D. de furt. Bald. in c. literis de testib. Ferret. in l. 1. n. 13. D. eod. Mornac. in l. 3. verb. amicus D. eod. Nobis verò solus convictus ad repellendum testem. sufficere non videtur. Argent. art. 163. gloss. 1. Hotom. in l. 2. C. de testib.*

XXVIII.

Quid de subditis in causa principis sui? Rectè Accursius scripsit, *in d. l. 6. ff. de testib. non esse idoneos testes: l. 4. C. eod. Donel. de testib. cap. 4. Glossema tamen ejus cum aliis ita temperandum duco, ut idonei non sint, nisi jusjurandum subjectionis eis remissum sit, aut princeps testes alios reperire non possit. Sich. in l. 4. C. de testib. Argent. art. 158. gloss. 1.*

XXIX.

Non solùm domus, sed & amicitia, & inimicitia justam præbent repellendi testis causam *l. 3. pr. ff. de testib. l. 5. §. 17. C. eod. l. 1. §. prætere a ff. de quest. Donel. in l. 2. C. eod. num. 16. Duar. d. cap. 1. Ferrar. d. gloss. 9. n. 11. Et si quidem inimicitia capitales sint, statim repellitur inimicus: Sin minus, auditur quidem, sed cum ad disputationem ventum fuerit, adversus eum de inimicitia excipitur, nov. 90. cap. 7. ub. Cujac. in com. Conf. Menoch. lib. 1. de arbitr. jud. quest. 28.*

XXX.

XXX.

Si quis non rogatus surrexerit, an poterit tanquam odii, gratiave suspectus rejici? Affirmat Donel. *de testib. cap. 4. arg. l. qua omnia 25. ff. de procur. Castrensi. in ead. l. 75.* Si verò rogatus surgat, tametsi non citatus, non poterit propterea repelli, Bartol. *in l. post legatum 5. §. bis verò ff. de his quib. ut indign. Mascard. vol. 1. de probat. quest. 5. n. 29.*

XXXI.

Infames, domesticos, & plerosque alios ex enumeratis Dd. nihilominus admittendos putant in gravissimis causis veluti majestatis, simoniæ, hæreseos: Item in illis, in quibus probationes aliæ deficiunt, quæque clamgeri solent, *arg. l. 7. ff. ad leg. Jul. maj. l. 4. C. eod. l. si quenquam 31. C. de episc. & cler. l. quoniam pen. in fin. C. de baret. & Manich. l. 12. & seqq. C. de Quest. l. 8. 9. 10. §. 1. ff. eod. l. 8. §. servis C. de repud. l. 7. l. 21. §. si e rei ff. de testib. Specul. tit. de test. §. qualiter n. 18. & §. pen. n. 1. Morn. in l. 3. ff. Hotom. in l. 2. C. eod. Wes. par. n. 3.* Verum id nec firmiter, nec in universum *ex all. loc.* probari potest. Ferreto certè, *in l. 3. §. lege n. 4. ff. eod.* ita displicuit, ut non dubitet communem opinionem vocare communem errorem.

* De usu hodierno leges Brunnemann. *process. civ. cap. 20. n. 7. 8. 9. Richter. dec. 31.*

XXXII.

Sunt præterea, qui testimonii quidem dictionem habent, sed quibus invitis denunciari nequit. Lege enim Julia cavetur, ne invito denunciatur testimonium adversus socerum, generum, vitricum, privignum, sponsum, sobrinum, sobrinove natum, eosque qui priore gradu sunt. Item ne liberto ipsius, liberorum ejus, parentum, viri, uxoris: Et ut ne patrono adversus libertum, *l. 4. & 5. ff. de testib.*

XXXIII.

XXXIII.

De hac tamen prohibitione dubitatur, sitne accipienda de judiciis duntaxat criminalibus, an & civilibus? Græci ad crimina restringere videntur, *Eclog. basil. lib. 21. tit. 1. vers. ἀκων εἰς μαρτυρεῖ ἵπτι ἐγκληματικῆς δικαστηρίου* &c. Rectius Latini etiam de civilibus judiciis accipiunt, *Accurs. (si tamen is Latinus, ac non potius Gothus) in d. l. 4. verb. denunciatur, Donel. de testib. cap. 9. Duar. c. 2. Wes. in parat. n. 3.*

XXXIV.

Ad numerum testium quod attinet, unus audiri non debet *l. jurisjurandi 9. C. de testib. l. maritus 20. ff. de Quest.* Hoc præceptum non uno modo restringunt interpretes, uni credendum existimantes in iudicio civili, cum litigatores in eum consentiunt: cum deponit de suo facto: cum concurrunt cum eo alia argumenta. *Specul. tit. de teste, §. restat de numero. Sichard. in d. l. 9. n. 18. Farin. quest. 63. n. 207. Myns. 5. obs. 26. Fab. Cod. lib. 4. tit. de test. defn. 35. Vult. 2. jurispr. 2. n. 44.* Ex his exceptionibus primam duntaxat probo: secundam improbo: tertiam rejicio, cum non sit de regula.

XXXV.

Sunt qui excipiant etiam nobilem, & probatæ apud omnes auctoritatis virum, *Hippol. singul. 114. Dec. concil. 694. Gail. 2. obs. 66. n. 11.* Non rectè, ac longè rectius alii, ne Xenocrati quidem aut Catoni, imò nec ipsi Imperatori, aut Pontifici Romano soli fidem habendam, *Sich. & Vult. cit. loc. Mornac. in l. 2. ff. de testib.*

Diff. Farin. d. quest. 63. n. 79. & seqq.

* Cujus sententia nobis magis arridet.

XXXVI.

Quot ergò testes requiruntur? Ubi numerus non est specialiter expressus, duo sufficiunt: pluralis enim elocutio

C

duo-



1008.
duorum numero contenta est, *l. ubi 12. ff. de testib.* Hæc tamen definitio non obest, quo minus iudex ex justa causa plures requirere possit *l. 1. §. ult. l. 3. §. ejusdem ff. de testib.* Donel. *ad eund. tit. cap. 7. & 10.*

XXXVII.

Quantum ad productionem tenendum, testes ipsos producendos esse, nec sufficere prolata iudicio testimonia: adhibita tamen distinctione. Nam in causis criminalibus omnimodò ipsi producendi sunt; in civilibus vel evocari possunt, ut coram interrogentur, vel in alia provincia examinari *l. 3. §. idem ff. Hadrianus ff. eod. l. 16. l. si quando 19. C. eod. nov. 90. cap. 5. Cuj. in par. de testib. & in d. nov. 90. Confer. Forner. 3. select. 1.*

XXXVIII.

Non tamen omnes evocari possunt: excipiuntur milites, senes, valetudinarii, qui cum magistratu reip. causa absunt, quibus venire non licet, qui non detrectandi testimonii causa absunt, publicani, & qui quid præbendum exercitui conduxerunt &c. *l. 3. §. ult. l. 8. & 19. ff. de testib.* Extra hos evocati sequi debent, sumtibus tamen producentis: Secuti dies quindecim expectare, intra quos, si interrogati non fuerint impunè eis discedere licet *d. l. 3. §. Gabinio ff. eod. l. 11. 16. & pen. C. eod. Donel. in ead. l. pen. & ad tit. Dig. cap. 9.*

XXXIX.

Quoties produci possint definit *nov. 90. cap. 4.* Qui semel, vel iterum, vel tertio testes produxit, si & productioni renuntiaverit, & priorum testimonia, vel adversarii exceptiones cognoverit, ad aliam productionem non admittitur: sed si nondum ea perceperit, admittitur; dummodo juret, se priora testimonia comperta non habere, & citra fraudem alia productione uti velle. *Cuj. in ead. nov.*

* Add. Syntagm. Jur. Civil. Exerc. 28. thes. 46. vers. non-
bun-

397.
nunquam. Brunnemann. *proc. Civ. cap. 20. num. 83.* qui plures
trahit exceptiones.

XL.

Numerus verò productionum ab aliis vicibus produ-
cendi & horis æstimatur, ab aliis numero dilationum. Rectius
Cujac. *ad eand. nov. & Donel. de testib. cap. 10.* dies censent
numerandos. Rectè quoque iidem notant prædictam no-
vellam loqui de eodem capite litis, nec vetare quo minus is
qui sæpius testes produxit, ex. gr. intentionis firmandæ causa,
alia productione uti possit ad probandam replicationem, &c.
*arg. l. siquidem 9. C. de except. Confer. Gail. 1. obs. 105. Sand. 1.
tit. 10. def. 5. Ferrar. tit. 12. gloss. 13.*

XLI.

Iidem testes, qui semel producti sunt, iterum interro-
gari non possunt *l. ult. ub. Hotom. C. de testib.* ne per hanc oc-
casionem testimonia sua retractent & perjuri fiant. Non
obest hæc regula, quo minus qui obscurius dixere, repeti pos-
sint ad explananda dicta sua, *Specul. tit. de teste, pr. vers. item
quod testis obscure. Ferrar. d. gloss. 13. num. 11. Fab. tit. de testib.
defin. 2.*

XLII.

Interrogatio testium, utrum præsentibus litigatoribus
fieri debeat, nec ne quæritur. Communis est sententia, vo-
candos quidem, ut videant jurare testes: examen autem se-
cretò fieri. Quam communem sententiam cum usus, Fa-
rin. *quest. 72. c. 1. & quest. 80. n. 92. & seqq. Gudel. 4. de jur.
nov. cap. 10.* tum præstantes J.C. *Zaf. in l. minimè ff. de ll. n. 3.
Hotom. in l. 12. C. de testib. & Donel. de testib. cap. 10.* pro-
bant. Nobis, cum paucioribus contra videtur, adèd liti-
gantium, inprimis adversarii præsentiam requiri, ut exami-
nari non possint, nisi alter per contumaciam absit,

C 2

l. per.

l. pen. C. de test. nov. 90. cap. ult. l. 27. §. questioni ff. ad leg. Jul. de adult. Duar. tit. C. de testib. cap. 4. Cujac. in d. nov. Donel. sibi contrarius in d. l. pen. n. 17. & seqq.

XLIII.

Porro, ante quam testes testimonium ferant, jurare de veritate dicenda debent, nec injuratis creditur *l. jurisj. 9. l. testium 18. C. de testib.* Sunt qui existimant, etiam post dictum testimonium jurare posse, dum id fiat in continenti, Bald. Alber. Castrenf. *in d. l. 9. Gail. 1. obs. 101. n. 9. Myns. cent. 4. obs. 77.* Verum hanc opinionem doctè confutarunt. Hotom. & Donel. *adeand. l. 9. Duar. d. cap. 4.*

* Vid. *fraternitatis c. 17. verb. receptis prius ab ipsis juramentis: d. test. ubi Add. Richter. commentar. Brunnemann. ad d. l. 9. C. de testib. n. 2.*

XLIV.

An remittere judex jusjurandum testi potest? Nequaquam. Quid si adversarius consentiat? Verius est hoc casu gratiam jurisjurandi fieri posse, *arg. l. 7. §. si paciscar. ff. de pact. l. si convenerit 26. ff. de re jud. c. tuis de testib. Donel. in d. l. 9. n. 9. Gail. d. obs. 101. n. 2.* In causa tamen civili, non capitali, ut rectè temperat Mascar. *vol. 1. quest. 5. n. 108.*

XLV.

Interrogatus utrum ita testari debet, *Scire se*, an verò sufficit si dicat, *Credere se*, vel, *Arbitrari*, vel, *Videri sibi*? Prius interpretibus magis placuisse videtur. Ferrar. *d. tit. 12. gloss. ult. Marant. part. 6. n. 17. Duar. d. cap. 4. Gomes. 3. resol. 12. n. 10. Farin. quest. 68. §. 2.* Neccaret ratione: in universum tamen, & de omnibus casibus id affirmari nequit, Confer. Bart. *in l. quid tamen §. si arbiter D. de recept. Hotom. 10. obs. 11. Cuj. 3. obs. 26. Brisson. 5. formul. pag. 477.*

XLVI.

XLVI.

Qui dixit testimonium, an corrigere dictum potest? Respondent Dd. Potest; si modo fiat in continenti antequam locutus fuerit cum parte, & justam alleget erroris causam Bartol. in l. eos n. 3. ff. ad leg. Corn. de fals. Ferrar. tit. 2. gloss. 3. Alciat. reg. 2. presunt. 29. Ex intervallo igitur vix est ut audiari debeat, etiamsi justam erroris causam videatur allegare.

XLVII.

Judex testes interrogans in primis personas eorum, & conditionem explorare debet: Dein animadvertere, an causam dicti & scientiæ suæ reddere possint. Postremò, an consent sibi; an dicta eorum convenient. Qui enim vacillant, aut inter se discrepant, meritò rejiciuntur l. 2. l. 3. l. 21. §. ult. ff. de testib. nov. 90. cap. 3. vers. si verò quidam. Ferret. in d. l. 3. n. 12. Morn. in l. 1. ff. eod. Sich. in l. 3. §. 11. C. eod. Myns. 6. obs. 58. Gail. 2. obs. 66.

XLVIII.

Verissimum igitur vulgatum illud: Testes oculos preferendos auribus. Quis enim expeditius reddiderit causam dicti sui, quàm qui dicit, Vidi? Nec tamen testes de auditione prorsus sunt rejiciendi: quid enim si de cognatione quærat, aut re antiqua? Utique audiendi testes, qui ex aliis audisse se dicunt l. si arbiter 28. ff. de probat. l. 2. §. idem Labeo ff. de acq. plur. arc. Cuj. 3. obs. 26. Don. de testib. cap. 6. Duar. cap. 4. Hotom. in l. 14. C. cod. Ferrar. d. tit. 12. gloss. 14. Maran. part. 6. n. 18. Farin. quest. 69. cap. 1. 2. 3. & seqq.

XLIX.

Dicere potest, Vidi, Audivi, non solum qui rogatus interfuit negotio, sed & qui fortuitò intervenit. In testamentis quidem, in credendis, solvendisque pecuniis rogati desiderantur: quæ autem non opinantibus accidunt, ea etiam

C 3

for-



fortuitis testibus probari possunt, *l. ad fidem n. ff. de testib. l. testium 18. C. eod. nov. 90. cap. 2. Cujac. ibid. Don d. cap. 6. Duar. cap. 5. Hotom. in l. 14. C. eod. Accurs. in auth. rogati C. eod.*

L.

In universum autem, cum utrinque testibus certatur, iudex plus fidei tribuet pluribus, quam paucioribus; affirmantibus, quam negantibus: dignioribus, quam humilioribus: senioribus, quam junioribus: masculis, quam foeminis *l. 3. l. 21. §. 3. ff. de testib. l. ult. C. de fid. instrum. nov. 90. cap. 1. l. 15. §. 1. ff. de quest. l. 1. §. seq. ff. ad SC. Vellej. Ferrar. d. tit. 12. gloss. 3. Dec. in l. 2. n. 34. de R. Jur. Hotom. in l. 23. C. de probat. Mornac. in l. 2. ff. de test. Alciat. reg. 1. praef. 45. Wel. par. de testib. Postremum fallere putat Tiraq. de nobil. cap. 20. n. 23. cum foeminæ sunt nobiles, mares ignobiles: Rectius iudicis prudentiæ id reliqueris: neque enim nobiles omnes sexum virtute vincunt.*

LI.

Hucusque de testibus. Instrumenta, latè accepto verbo, sunt ea omnia, quibus res aliqua, vel causa instruitur. Strictius hoc loco instrumenta definimus tabulas, seu scripturas, quibus iudici fit fides nostræ intentionis *l. 1. §. tot. tit. ff. de instr. vel instr. leg. l. 1. ff. de fide instr. l. oratione 7. ff. de fer. l. notionem 99. §. ult. ff. de V. S. Suntque vel publica, vel privata.*

LII.

Publica sunt, quæ publica auctoritate aut confecta, aut confirmata sunt. Confecta veluti tabulæ censuales *l. 3. C. Sin. cens. vel. reliq. l. 10. ff. de probat. l. 7. 8. 30. C. de donat. apochæ publicæ l. 6. C. de suscept. l. 2. C. de jur. emphyt. tit. C. de apoch. publ. acta publica, seu iudiciorum, seu extrajudicialium negotiorum. l. 2. C. de edend. l. 31. C. de donat. Confirmata vocant*

1173
399.
vocat Dd. quæ à privatis scripta sigillo muniuntur publico,
c. scripta c. quoniam de fid. instrum. l. publicati 2. C. de testam.
Sich. ad rubr. C. de fid. instrum. n. 11. Vult. 2. jurispr. 2. n. 67.

LIII.

Publicis, rectè etiam annumeramus mensæ scripturam,
& instrumenta à tabellionibus conscripta: Sunt enim utri-
que, & argentarii, & tabelliones publicæ personæ *l. 10. ff. de*
edend. l. 3. C. de tabul. l. scripturas 11. C. Qui pot. in pign. Ho-
tom. ad rubr. C. de fid. instrum. Duar. ad eund. tit. cap. 2. Hoc
tamen interesse videtur, quod publica alia instrumenta te-
stes non desiderent: scripturæ tabulariorum desiderent te-
stes, juxta distinctionem *nov. 73.*

LIV.

Ad hæc certa præscribitur forma tabellionibus, quam
observent in conscribendo. Nempè, ut expriment Coss. in-
dictionem, mensem, diem, nomen Imperatoris, nomina te-
stium *d. nov. 73. cap. 5. nov. 47. cap. 1. & 2.* Loci nulla mentio:
sed nec invocationis divini nominis. Illud meritò miramur,
cum adjectio loci utilissima sit. *Gudel. 4. de jur. nov. cap.*
11. n. 20. Hoc arguit errasse eos, qui putarunt, præscribendam
esse in instrumento divini nominis invocationem. *Alciat.*
9. parerg. 6. Covar. pract. quest. 20. n. 1. Sich. ad rubr. C. de fid.
instr. n. 7. Gudel. d. loc.

Diff. Specul. tit. de instrum. edit. Menoch. 2. de presunt.
82. B. Walther. 2. miscel. 1. Mascard. vol. 1. quest. 6. n. 80.

* *Vid. d. Exerc. ad Pand. 28. thes. 29. vers. sed quæri solet.*
Ibique evoluit.

LV.

Privata instrumenta sunt, quæ per privatum hominem
conscripta sunt; sive ab alterutro contrahentium, sive à ter-
tio utriusque consensu. Hujusmodi sunt syngraphæ, chiro-
gra-

grapha, apochæ privatæ, antapochæ, epistolæ, calendaria, si-
ve codices rationum *l. qui tabulas 27. ff. de furt. l. si chirogra-
pbum 24. l. Impp. 30. ff. de probat. l. ult. ff. de pecul. l. pen. ff. de
reb. cred. l. plures 19. C. de fid. instrum.*

LVI.

Ad robur quod attinet, nemo dubitat publica instru-
menta plenam fidem facere, cum potiora testibus esse Sena-
tus censuerit *l. census 10. ff. de probat. l. in donationibus 31. C. de
donat.* Quod Senatus consultum Dd. ita accipiunt: Instru-
menta publica, (exceptis iis, quæ à tabellionibus fiunt, & ar-
gentariis tantam obtinent firmitudinem, ut nec per contra-
rios testes infringi possint. Bald. *in l. si quis 21. C. ad leg. Corn.
de fals. Don. ad tit. de fid. instr. cap. 2. Gudel. d. cap. 11. Wes.
parat. ff. eod. n. 6. & varie distingvens Mascard. vol. 1. quest. 6.
n. 20. & seqq.* Non rectè; cum generaliter de instrumentis
cum publicis, tum privatis responsum sit, si de fide eorum ni-
hil dicatur, non posse adversus scripturam interrogari testes.
Paul. *5. sent. 15. l. Impp. 29. §. 1. ff. de probat. l. 2. ff. de fid. instrum.
l. pen. & ult. C. ad leg. Corn. de fals. Cuj. in d. sent. Paul. & 13.
obs. 38. Duar. ad tit. C. de fid. instr. c. 3. Hotom. ad l. 15. ej. tit.*

LVII.

Sed quia publicis instrumentis acta judiciorum annu-
meravimus, illud quoque hoc loco excutiendum est, an acta
unius iudicii fidem faciant in alio iudicio? Et rectè respon-
sum arbitror, non facere fidem in alio iudicio, nisi inter eas-
dem personas. Hoc enim responsum non leviter confirmat
*l. ult. C. de testib. l. pen. §. ult. C. de recept. l. pen. C. de lib. caus.
l. sepè 53. ff. de re jud. Specul. tit. de confess. §. nunc videndum n.
3. Decian. 4. rer. crim. cap. 43. Mascard. vol. 1. de probat. concl.
33. & 34. Clar. §. fin. quest. 54. Farin. quest. 81. n. 95. Guid. Pap.
quest. 136. Afflict. decis. 148. n. 3.*

LVIII.

LVIII.

Privata instrumenta firmiter non probant, nisi quæ u-
triusque consensu scripta sunt, si & causa debiti specialiter ex-
planata sit, & testium præsentia vel subscriptionibus confir-
mata, *l. cum de indebito 25. D. de probat. nov. 73. cap. 4.* Et te-
stes quidem, *ex ead. nov. cap. 1. 2. 8. & 9.* peritus literarum ad-
hibere tres debet, imperitus quinque, nisi res de qua agitur,
sit infra auri libram, aut eo contrahatur loco, ubi magna est
testium inopia.

LIX.

Imperitus literarum est, qui nescit legere & pingere li-
teras, *Duar. 1. disp. anniv. 3.* pro hoc quintus testis subscribere
jubetur *d. nov. 73. cap. 8.* Vix igitur obtineri potest, quod qui-
busdam placet, si imperitus literarum notam apposuerit, eam
notam, sive signum pro subscriptione esse *Fab. 4. Cod. tit. de
fid. instrum. defm. 23.*

LX.

Si testes adhibiti non sint, non aliter probant, nisi con-
tra eum proferantur, qui ea scripsit, isque à se scripta fatca-
tur. Si inficietur, non aliud superest remedium, nisi ut præ-
stito ante à proferente jurejurando ad comparationem lite-
rarum descendatur *l. comparationes 20. & auth. adhec C. de
fid. instrum. de nov. 73. cap. 4. l. generaliter 13. C. de non num.
pec.*

LXI.

Pro eo qui scripsit, nullo modo probant privatæ adno-
tationes, rationes, repertoria: adeò quidem, ut nec fides ha-
beatur, si fisci dispensator rationes confecerit *l. 5. l. rationes 6.
l. exemplo 7. C. de probat. nov. 48. cap. 1. §. 1.* aut si testamento
quis scripserit sibi deberi, tametsi morituri maximè credan-
tur vera loqui, *ead. l. 6. vers. ejusdem juris.*

D

LXII.



LXII.

Excipiunt interpretes & usus i. privatam adnotationem parentum de nativitate & statu filiorum *l. 16. § 29. D. de probat.* 2. rationes argentariorum. 3. tutorum 4. mercatorum, 5. scripturam privatam, cum qua alia adminicula concurrunt, 6. nec non eam, qua adversarius jam pro se usus est 7. item quæ connexè tam commodum, quam incommodum scribentis continet. *Ferrar. tit. 15. gloss. 20. Maran. part. 6. de testib. n. 70. Sich. in l. 6. C. de fid. instr. n. 8. Zaf. in l. 1. §. editiones D. de edend. n. 39. Guid. Pap. quest. 441. Moller. 1. semestr. 22.* Ex his exceptionibus vix unam probare possis: ita aut de regula non sunt, aut apertè juri civili repugnant. Repugnant tertia, quarta, sexta, & septima.

LXIII.

Porro non satis est scire, quæ instrumenta probent; etiam illud tenendum, authenticum probare, non exemplum. Exemplum calumniosam scripturam Paulus vocat *l. 2. D. de fid. instrum. l. ult. D. de probat. l. 5. D. fam. ercisc. l. 7. §. auth. se quis in aliquo C. de edend.* Excipiendum est illud, quod fide publica, & optima ex authentico descriptum est, *l. chirographis 57. D. de admin. tut. Donel. ad tit. de fid. instr. cap. 3. Sich. ad eand. rubr. n. 6. Zoan. in d. auth. n. 5. §. seqq.*

LXIV.

Fuere, qui exciperent etiam exemplum in archivo publico reconditum: verum hos rectè refutat Zoan. *d. loc. n. 23. §. seqq.* Quid enim sola custodia ad fidem conferre amplius potest? Cumque tempus non sit modus inducendi obligationem *l. obligationum 44. D. de O. & A. quis dixerit locum id efficere posse, ut ex eo instrumento peti possit, quod ex se invalidum est?*

LXV.

LXV.

Quaeritur est, an etiam exemplum exempli probet? Respondet Bart. *in d. autb. n. 10.* Felin. *in c. Albericus pr. de testib.* Imbert. *1. Inst. forens. 46.* probare, si fide publica, & vocato adversario descriptum sit. Idem verò Zoan. *n. 35. & seqq.* existimat, ne hoc quidem casu fidem facere posse, cum exemplum exempli sit, non authentici. Nobis Bartoli sententia rectior videtur.

* Add. *d. Exerc. tbes. 31.*

LXVI.

Superioribus consequens est, si in aliquo instrumento alterius cujusdam instrumenti mentio facta fuerit, non haberi fidem, nisi id ipsum proferatur, cujus mentio facta est; *d. autb. si quis in aliquo, nov. 119. cap. 3.* Excipit Specul. *tit. de instrum. edit. §. restat*, eum casum quo notarius nominatim adjicit, id instrumentum à se visum & lectum esse: Verum hanc exceptionem rectè damnant Castr. & Jas. *ad eand. autb. Fach. 12. contr. 3.*

LXVII.

Ad substantiam contractus instrumentum non pertinet, sed ad rei gestæ fidem *l. cum res 12. C. de probat. l. 1. C. de dot. caut. non num.* Quare instrumento amisso non intercidit obligatio, cum aliis modis fides judici fieri possit *l. 20. & 21. C. de probat. l. 1. 4. 5. 6. 7. 8. 10. & 11. C. de fid. instrum. l. 5. de transf. l. 2. C. de emanc. lib. l. 40. D. ad leg. Aquil.* Quid si negotium necessario scripturam requirat, aut ab initio placuerit in scriptis contrahi? Ne hoc quidem casu intercidit obligatio, si modo aliter fides judici fieri possit. Sichard, & Hotom. *in l. 1. C. de fid. instr.*

LXVIII.

Si debitum scriptura comprehensum sit, solutionem

D 2

ejus



ejus aut scriptura seu apocha, aut quinque testibus probari vult Justinianus, *l. testium 18. C. de testib. nov. 90. cap. 2.* Hæc constitutio utrum accipienda de omni debito, quod ex chirographo, petitur, an de eo duntaxat, quod in scriptis contractum est? Verius est de omni accipiendam; sunt enim verba generalia: Hotom. Donel. Pac. *in d. l. testium.* Cujac. *in d. nov. 90.*

Diff. Bartol. *in l. generaliter C. de non num. pec. Afflict. decis. 13. n. 35.* Menoch. *1. presunt. 46. n. 44.*

* Hodie sanè ista constitutio usu non observatur. Vid. Brunnemann. *in d. l. 18. C. de testib.*

LXIX.

Superfunt argumenta, quæ ad arguendum aliquid effecta sunt. Eaque vel necessaria, vel contingentia. Necessaria, quorum consequentia necessaria est: veluti: Coivisse eam, quæ peperit: Non promississe Calendis Romæ, qui eodie fuit Athenis: Furtum fecisse, qui cum re furtiva deprehensus est in ædibus domini &c. Cujusmodi argumenta non minus probant, atque tabulæ vel testes *l. indicia 19. C. de Rei vind. l. 2. C. de in lit. jur. l. 21. § ult. C. de probat. l. 2. C. de testib. l. 34. C. ad leg. Jul. de adult. Duar. ad tit. C. de probat. cap. 4. Hotom. ad eand. rubr.*

LXX.

Contingentia sunt quorum consequentia non est necessaria. Hæc propriè in jure nostro vocantur præsumptiones. Præsumtio enim, auctore Cujacio *in parat.* est velut anticipatio quædam de eo, quod in re est, communi sensu percepta ex eo, quod plerunque fit, aut fieri intelligitur. Estque vel fortior vel levior.

LXXI.

Fortior non probat quidem, transfert tamen onus probandi

407.

bandi in adversarium, contra quem facit: Veluti, cum præsumimus remisisse debitum eum, qui reddidit chirographum *l. 2. D. de pact. l. si chirographum 14. D. de probat.* Pactum in rem potius esse, quam in personam *l. si pactum 9. D. eod.* Filium in potestate potius constitutum, quam sui juris esse *l. si filius 8. D. eod.* Mutasse voluntatem eum, qui post factum testamentum alienavit rem legatam *l. 18. D. de adim. vet. transf. leg. & c. Cujac. d. loc. Donel. 25. com. 3.*

LXXII.

Levior est, quæ ne probandi quidem onus in adversarium transfert, sed qualequale indicium facit: veluti; liberam esse, cujus pater liber est *l. 10. C. de Probat.* Ingenuum, cujus fratres ingenui *l. matrem 17. C. eod.* Libertatem datam ei, cui fideicommissum relictum est & alimenta ut nutrici præstita sunt *l. pen. D. eod.* Debuisse eum qui testamento debere se scripsit *l. 88. §. quisquis 10. D. de leg. 2. l. 27. D. de probat.* Duar. *ad eund. tit. cap. 6.*

LXXIII.

Ita malumus, quam cum interpretibus plerisque tres constituere species præsumtionis: quarum primam vocant præsumtionem juris & de jure: alteram juris: tertiam hominis. Juris & de jure, cum jus præsumit simul & statuit. Juris, cum præsumit, non statuit. Hominis, cum non jus, sed homo aliquid præsumit, modico argumento ductus, Bald. *ad rubr. C. de probat. n. 4.* Alciat. *de præsumt. part. 2. & 3.* Menoch. *lib. 1. quest. 2. & seqq.* Mascard. *de probat. vol. 1. quest. 10.* Wesembec. *parat. de probat. num. 14.* Farinac. *quest. 36. num. 85.*

LXXIV.

Præsumtiones juris multas revocat Alciatus ad tres regulas, quarum prima est: Qualitas quæ naturaliter inest ho-

D 3

mini

mini, semper adesse præsumitur. ii. Mutatio non præsumitur.
 iii. Semper præsumimus in meliorem partem. Exempla ta-
 men non pauca animadvertas, de quibus an regulæ rectè sub-
 jectæ sint sive ab Alciato, sive ab aliis, meritò dubites: in pri-
 mis cum ipse *Alc. part. 3. n. 3.* ex sententia aliorum Dd. præ-
 sumtionem juris vocet liquidissimam probationem *Conf.*
Coras. part. 3. de jur. civ. in art. redig. cap. 8. Menoch. *d. lib. 1.*
quest. 13. & 36.

LXXV.

Quid enim? num liquidissima probatio est, quæ non
 probat, sed transfert duntaxat onus probandi in adversarium?
 Num transferre possunt onus probandi, quas subijcimus?
 Incontinentem præsumi, cujus pater incontinens fuit. *Reg. 1.*
presumt. 24. Vitam hominis præsumi *C. annorum, pres. 44.*
 Non præsumi quem baptizatum, *Reg. 2. pres. 4.* Eum qui fuit
 dominus, etiam nunc dominum præsumi, *presumt. 20.* Qui
 olim possedit, & nunc præsumi possidere, *pres. 21.* Olim divi-
 tem, & nunc divitem præsumi, *pres. 27.* Nunquam præsumi
 delictum *Reg. 3. pres. 1.* Si quid in officio neglectum fuit, præ-
 sumi culpam partis potius, quam ipsius officialis, *pres. 15.* Præ-
 sumi uxorem quæ sita constante matrimonio quævisse ex re-
 bus mariti, *pres. 26.* Præsumi privilegiatum jure potius com-
 muni uti, quam privilegio *pres. 36.* Ex duobus duello certan-
 tibus, casum præsumi aggressorem *pres. 39.*

LXXVI.

Occurrunt & quæ parum coherere videntur, ut cum
 dicit *reg. 1. pres. 2.* Patrem semper præsumi capere salubrius
 consilium pro liberis: Et tamen præsumi injustè exheredasse
 liberos, *ead. reg. pres. 16.* Non præsumi justè exheredasse: ta-
 men præsumi prodigum, quem pater prodigum testamento
 appellavit, *ead. reg. pres. 15.* Quid mirum, cum J.C. quoque
 vete-

veteres de quibusdam variè responderint : ut cum Trypho-
 ninus dicit *in l. 9. §. cum bello D. de reb. dub. Occumbentibus*
bello patre & filio, præsumi patrem ante filium occubuisse ;
Ulpian. contra in l. 17. §. pen. D. ad SC. Trebel. præsumi potius
filium occubuisse ante patrem. De qua pugna vide Alciat.
reg. 1. præsumt. 49. Don. 8. com. in expl. d. l. 9. Menoch. lib. 6.
præsumt. 50. Eman. Cost. in d. §. cum bello.

* Conciliatio legum allegatarum apparet ex *thes. 88.*
Syntagm. Jur. Civ. Exerc. 35. & evolut. ibid. Add. tractat. d.
Succession. cap. 16. aphor. 44.

LXXVII.

Postremò notandum, tametsi præsumptiones singulæ non
 probent, plures tamen conjunctas plenam fidem facere pos-
 se. Nihil enim vetat, quo minus plures, ut cum vulgo loquar,
 imperfectæ probationes conjungantur. *Duar. d. c. 6. Hotom.*
in l. 4. C. de non num. pec. Menoch. d. lib. 1. qu. 39. & seqq. Myns.
2. obs. 10. Vult. 2. jurispr. 2. n. 79. Facit. l. ult. C. de probat. l. in-
dicia 19. D. de rei vind. l. 1. §. 1. & §. idem Cornelio D. de Quest.
l. ubi fals. 22. D. ad leg. Corn. de fals.

* LXXIIX.

Receptum est in judiciis, ut absoluta probatione, sive per
 testes sive per instrumenta, partes litigantes admittantur ad
 Disputationes mutuas: Vid. *Carpz. proc. tit. 15. art. 2. n. 33. Qui-*
bus optimo consilio modum præscripsit novissima Consti-
tutio Imperii de An. 1654. §. Und demnach mehrentheil. 56.
nec non Ordinatio judiciaria Gothana part. 1. cap. 10. §. 44.
 Quò etiam pertinet sanctio in dictis comitiis Ratisbon. An.
 1654. §. *zu demaliger. 96. cujus verba, summum studium coer-*
cendi advocatos iterum ostendentia, adjiciemus: Zu dema-
liger gründlichen Abhelf- und Verbesserung deren bey den
Procuratorn Advocaten und Partheyen vorgehenden
 Feh-

Fehlern und Unordnungen / auch bestieffentlich suchenden
 den Rechten und Bevortheilungen / ihre Partheyen bey
 der etwa in der possession habender strittiger Güter un-
 terwährendem Rechtsstand zuerhalten / ordnen / setzen
 und wollen wir / das zu dessen aller Abschneidung und
 Verhütung / die Procuratorn und Advocaten / sich künf-
 tig / nach inhalt unserer bereits hieroben in puncto der
 Klaglibellen und Responsionen beschehener Verordnung /
 also durchgehends bloßlich in Erzählung des facti und der
 Geschicht aufhalten / die Disputationes und allegationes Ju-
 ris aber / welche mehrentheils die Sache nur zu verwir-
 ren und schwehrer zu machen pflegen / also auch in facto
 selbst / dasjenige / was nicht zur Sachen dienlich / nicht
 einmischen / sondern bey Straff nach Ermäßigung über-
 gehen / iedoch ad marginem einen oder mehr textus Juris
 oder bewehrte Scribenten / welche in terminis terminanti-
 bus von den Sachen schreiben / zu allegiren erlaubt seyn.

Ad sublevandum tum advocati tum maxime Judicis la-
 borem conducit, si rotulus probationum juxta formam in
 sapius laudato Recessu imperii d. An. 1654. §. im übrigen. 52.
 Nec non in dicta Ordinatione Judiciaria Gothana part. 1. cap.
 10. n. 7. delineatam, conficiatur. Verba dicti Recessus sunt:
 Sollen ihren rotulum über der Zeugen Aussage dergestalt abfas-
 sen / daß nach einem ieden Beweis-Articul / aller und ieder Zeugen
 Ausfag / in ihrer Ordnung / mit den Worten / wie ieder Zeug geredt /
 also gleich ordentlich subnectiret / und wann also dem ersten Articul /
 aller und ieder Zeugensag untersetzt worden / folgendes der ander Ar-
 ticul wiederum voran und abermahl denselben aller und ieder Zeu-
 gen depositiones wortlich und ordentlich untergestellet / auch in sol-
 cher Ordnung durch alle Articul wie auch bey den interrogatoriis
 verfahren werde / damit der Richter aller Zeugen sagen / uf einen ied-
 den Articul allzeit unter Augen haben könne / und des sonst noth-
 wendigen vielfältigen uffsuchens oder mühsamen extrahirens ver-
 hoben bleibe.





X 2403648

ULB Halle


3

006 691 285



WMA





390.
20

1684, 37

1674/92 (ca. 1684)

DISSERTATIO
DE
PROBATIONIBUS
ET PRÆSUMTIONIBUS,

Quam
PRÆSIDE
Viro Illustri ac Magnifico
DN. GEORGIO ADAMO
Struven/

Hæreditario in Wangelben & Benigen-
Sena/ Jcto Consummatissimo, Sereniss. Du-
cum Saxo-Vinariensium Consiliario intimo Emi-
nentissimo, Facultatis Juridicæ Ordinario, Curia Pro-
vincialis, ut & Scabinatûs Adessore Gra-
vissimo,

Dn. Patrono ac Promotore cum obsequio & veneratione perpetua colendo
Calend. Februarii

Publicæ disquisitioni exhibet
AUGUSTUS Drachstedt/
Halâ-Saxo.

JENÆ, Typis JOHANNIS NISL.

3 1/2

